Crac. stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1648 die 14 Octob.

21.

Rosini Simonis: Septem planetae applaudentes VII adolescentibus.

SEPTEM PLANETÆ APPLAUDENTES.

VII. Adoleſcentibus

SEU

Carmen Gratulatorium, quod VV. VII. Artium & Philoſophiæ Candidatis,

DUM

Ab Excellentiſſimo & Doctiſſimo Domino

M. SEBASTIANO STRYIEWICZ,

Philoſophiæ Doctore & Profeſsore, Collega Minore, Græcarum literarũ Profeſs:

In Auguſto Iagellonianæ Domus DD. Theologorum Lectorio, Primâ laureâ

ORNARENTUR.

exhibuit

SIMON ROSINI Eiuſdem Laureæ Candidatus.

Anno D. 1648. Menſe Octob. Die 14. Hora 14.

CRACOVIÆ,
In Officina Staniſlai Bertutowic.

In Stemma Illustrissimæ Domus
SKARSZEVIANÆ.



Tecta maniplorum vestræ sunt tradita genti
Et bene: texêre hæc nam bona tecta viros.
Ergo tegas alios SKARSZEWSKI mæste maniplos.
Isti si desunt; ecce maniplus Ego.

Ad Perillustrem & Admodum Rndum Dnum,

D. IOANNEM SKARSZOWSKI,

Canonicum Crac: &c. &c.

Proloquium.

GEminato luctu & mærore, communi altero, domestico altero oppletum Te Perillustr. & Adm Rnde Dne accedunt nihilominus nuper in cælo Academico exorta sydera. Obscura quidem illa: tum quia ab Vmbratili & tenui depicta ingenio: tum quòd in tantis doloris tui (vt ita dicam) tenebris, ædiumq; & vestium tuarum attrato colore nihil deceat esse excellenter luminosum. Adeunt tamen & tuo aspectui fidenter se præsentant: non vt suam iactent, sed vt tuam in tenebris demirentur lucem. Lucem inquam virtutis illius quæ reliquarum firma columna est Constantia. Quanta enim illa, inter hanc fatorum in Te sæuientium asperitatem, quanta eminet? quàm Tuus infractus animus? Amisisti Regem Serenissimum communis Patriæ Patrem, Tuarum verò virtutum ferè paterni affectus amatorem. Cuius iusta feralia, cum Tibi nondum in scenam abijssent, ereptum ecce ingemiscis fratrem desideratissimum, amore & pietate coniunctissimum, morum, pietatis, probitatis, affabilitatisq; exemplar singulare, ac deniq; Amplissimi Capituli Cracouiensis ornamentum pulcherrimum. Quo quidem in passu, adeò liuido maligna illa bonorum hostis fortuna Te intuita est oculo, vt cum in Maximo Rege beneficum Patrem Tibi rapuisset, in fratre partem Tui ereptam Tibi vellet. Ferox viuis etiam non parcens Parca, parum Tibi mali à se censuit esse fa-

cessitum, si Te publicis inuolueret lamentis, nisi domesticum quoque funus, nimis ingratum auctarium confecisset. At confecerit sanè: animum certè Tuum in aduersa obfirmatum, inuictaque armatum ratione minimè confecit. Viget ille inconcussus & tantis immotus procellis, bonis proprijs sese consolatur: immò malignam ridet fortunam; quæ quot Tibi funera & cupressos ingessit tot victorias & lauros maturauit. Cogitas nimirum Regem Serenissimum, qui tantæ felicitatis causa huic Reipub. extitisset, non donum perpetuo vsui addictum, sed diuinum fuisse depositum: quod si à nobis repetitum est, grati pro commodato, non queruli esse debemus. De fratre verò amisso expendis illud Francisci Pætrarchæ. Si frater perijt superstes est gloria, virtus, anima: præter quas humana omnia pari mors turbine propellit, ac dissipat. *Et illud eiusdem.* Non est solus cum quo virtus & honestas habitat: inter quas affixam præcordijs fratris imaginem esse, nec mors ipsa vetuerit. *Hac igitur animi Tui constantia illecti Planetæ mei Academici splendorem illius venerantur: quem si fauentem experti fuerint, profectò qui Astronomis vagi sunt Tibi Perillustr. & Adm. Rnde Domine fixi, hoc est æternùm deuoti futuri sunt. Deum ergo interim oro, vt qui virtutum Tuarum lucem mærore hoc quasi nube quadam obsessam esse voluerit, idem ille eandem breui, orbe pleno & sine nube fulgere efficiat.*

Illustriss. & Reuerendiss. D.

Cliens & humillimus seruus

Simon Rosini primæ Laureæ Candidatus.

ODE
ALMÆ MATRI
ACADEMIAE DICATA.

PErcussa forti grandine, iam suos
Proferre fœtus destituit Ceres,
Nec Palma, nec Pomona suetum
Fulmineo male læsa nisu
Censum resoluit: quin sua, tetrico
Concussa morbo, membra patentibus
Commendat aruis, post & ipsa
Fulmineo veniente pulsu.
Cætu dolenti, Consocialium
Cretura nunquam concidit arborum,
Hanc Hortus, hanc Pomi gementes
Hancq; dolere solent Cupressi.
At Tu Lecheæ lux Academia
Mater Iuuentæ, sis licet obruta
Hinc inde centeno dolore, ac
Funeribus lacerata crebris.
Politioris tu tamen inrerim
Fœcunda prolis, Sydere dextero

 Persistis,

Persistis, heu quantùm decoram
Nunc etiam generas Deorum
Non pœnitendis ominibus Tibi
Lechoq; prolem. Cernis vt aurea
Virtute proles & virenti
Ingenio Genioq; crescit.
Afferto buxos, trudito pectines
Sonora laudum fundito Carmina,
O digna Phœbo, & Matre Proles
Digna Caput redimire lauru.
Hæc illa Proles, quæ sua peruigil
Poliuit altis Corda scientijs,
Cuî lingua suadæ, cuî sophorum
Ingenium sine nube claret.
Hæc illa Proles, cuius idonea
Virtus Polonis crescere sedibus
Datura quondam est æuiternam
Patribus & Patriæ salutem.
Hæc illa Proles, quæ sibi largiûs
Concessa doctæ munera Pallados
Cunasq; Maternas, amoremq;
Haud vacuo retinebit ore.
Hoc esto Votum, Nostra sed interim
Benigna Mater quod soboli Tuæ
Omen datura es? quid iubebis
Nos memori retinere mente?
Dilecta Proles, Eia (ait hæc Parens)
O cara Proles, discite discite
DVM RES ET ÆTAS, ET SORORVM
FILA TRIVM PATIVNTVR ATRA.

SATVRNVS.

V. D. ALBERTO ZABINSKI.

MVſa Nouena faue ROSINIVS hoc tuus orat,
Dona det vt fauſtè, mitis Apollo faue,
Tuq́; faue ſeptena cohors, cingenda coronis,
Quas ex Empireo fert tibi vena Polo.
Quæ vobis, ſeptena cohors, ſed munera reddam,
Quæq́; tegent veſtras laurea ſerta comas,
Orbes cœleſtes, non laurea ſerta putate,
Quos Deus ex ſuperis mittit in ima plagis.
Neue deeſſe ſuus videatur in orbe Planeta,
Quilibet at veſtris præſit vt ingenijs.
Sedule ZABINSKI tibi ſint Saturnia Regna
Namq́; tibi lactis Caſtalis vnda fauet.
Cumq́; tuo ſeſe SATVRNVS in orbe locabit
Secula tarda tibi claudus in axe vehat,
Cum quibus vt poſſit claudus procedere rectè,
Suppeditent illi Carmina noſtra pedes.

elegantes

IVPITER.

V. D. STANISLAO KRVSICKI.

VBera vix ALMÆ ſuxiſti grata Parentis
KRVSICKI, Aonijs quæ tumuêre vadis.
Protinus eximio cingit tua tempora ſerto,
Serto prudentes impediente comas.

Vtque

Vtq; tuum proprio ſplendeſcat ſidere ſertum,
Appoſitum ſidus dat mea vena tibi.
Nempe IOVEM tradit moderata luce nitentem,
Saturni & Martis qui moderator adeſt,
Ergo luce Tua Phæbæum vince nitorem,
Alma Tibi Genitrix cum Ioue quando fauet.

MARS.

V. D. ALBERTO STRAZYC.

IPſa Tibi quamuis proſpectet gratia vultu,
STRAZYC, Naturæ mitis imago Bonæ,
Attamen ignitus Tibi cedit ſorte Planeta
MARS, ſertum cupijt qui decorare tuum.
Nempe Tuos celeres conatus ſenſit in Arte,
MARS ergo voluit ſe ſociare tibi
Sic quia non multùm rutilus MARS diſtat ab ARTE,
Lumen vtrumq; potens Martis & Artis Habe.
Nec mirere tuo quòd MARS ſit vertice, reſtant
Namq; mouenda breui vertice bella Tibi.

SOL.

V. D. ALBERTO IEMIELSKI.

SCeptrigeræ MATRIS cum laurea munera prendis,
Cum ſancti doctas fers Heliconis opes,
Aurea JEMIELSKI Te prendere crede Metalla
Quæ SOL in Terræ gignere ventre ſolet,

Vtque

Vtq; Tibi auratas gignat SOL vertice gazas,
Cor mundi ſertum ſol tegat ipſe tuum.
SOL inquam CHRISTVS pulcherrima lampas Olympi
At vero ſerti gemmula pulchra tui.
Sic conſtans poſt hac doctrinæ luce niteſcens
In medià poteris nate creare dies.

VENVS.

V. D. MATTHIÆ SAIDOWIC.

QVi Tibi Prœbe Comes fidus ſolet eſſe Planeta,
Qui Tibi ceu Regi prodromus eſſe ſolet
Hic in SAIDOVIO ſe ſerto ponat, & auctum
Ornet non duro Marte ſed Arte Caput.
Dignus adeſt tanto niuei ſplendore Planetæ,
Num bene ſcit Muſis ſacrificare ſuis.
Vtq; benigna VENVS, ſic candidus atq; benignus
SAIDOWIC caſto lumina corde gerit.
Vtq; ſuum roſeo ſequitur cum lumine SOLEM,
Iuſſa Virûm grauium ſic ſolet ille ſequi.
Per quod gratus adeſt multis, & amabilis, inde
Appoſitum ſydus dat mea MVSA Tibi.
Hoc Tibi quod ſydus SORS obtulit, hæc puto cauſa eſt
Non quod amarus ades, ſed quod amatus ades.

MERCVRIVS

V. D. ALBERTO KARCHVTOWIC.

VIx Tibi perſpicuo ſteterunt in vertice ſerta
O KARCHVTOWIC, protinus alta capis.
Nam ſe MERCVRIVS mox Nuntius ipſe Deorum
In ſerti nitido collocat Orbe Tui
Diuite MERCVRIO gaudes, ſis diues & ipſe
Propter Te Turbam congregat ille boum
Gaude de bobus de tàm quoq; diuite ſtella
Mox Tibi PARNASSVS namq; colendus erit.

LVNA.

V. D. MARTINO DROBINSKI.

VLtima ſubtilis Tibi cedit LVNA DROBINSKI
Luna creſcentis cornibus ima petens.
Exprimit illa Tuis neruos ſermonis acuti,
Exprimit & linguæ luce nitente ſonos.
Clarus es eloquio Magni Ciceronis, & altum
Caſtalij fontis ſcis penetrare vadum.
Et quoniam in gemina SVADA Te ſcimus acutum,
Hoc geminum iuſtè Cynthiæ acumen habe,
Hic Tibi iam nullum ſupponam lector acumen
Vertice nam duplex Cynthiæ acumen habes.

Ja Duperrius
hóc Aevsves.

V. D. SI-

V. D. SIMONI ROZYNI,

MATTHIAS SAIDOWIC eiusdem Laureæ Candidatus amoris ergò confert.

Fortuna opes non animum auferre potest. Seneca.

IAm nunc veloci passu ludibria calcâ
Fortunæ; roseo ROZINI flore decorus.
Quæ tibi si subitò lætissima porrigit ora
Crede mihi vultum posthac mutabit & altos
Inconstans apices tellurem sternet in imam.
At tua iam virtus prædulces promet odores
Fulgebitq; Tuæ longùm virtutis imago
Si Iagellonios pergis prensare Corymbos
Perge igitur faustos forti tolerare labores
Pectore: Nam Mater cingit Tua tempora lauro.



Sub Felicibus Auſpicijs,

Perilluſtris & Admodum Reuerendi Domini,

D. IACOBI VSTIENSIS

S. Th. & I. V. Doctoris ac Profeſsoris S. FLORIANI & SS. Omnium Præpoſiti atq; Studij, Vniuerſitatis

GENERALIS RECTORIS.